



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina
Evangelica De Meditatione mortis**

Kispenning, Henricus

Antverpiæ, 1583

Quis Animarum ex corpore migrantium status, ex Athanatio Episcopo
Alexandrino. iij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

istorū tentarit labefactare, aliorū quoq. fidem concutiet. Nā si Animæ nō sunt immortales, bene aut secus factorū nulla sunt Pœne, nulla Præmia. Hac enim in decursu presentis cui omnia permista & confusa cernimus: ut nihil sit aliud hominū vita, quàm merum latrocinium. Nulla est ergo Deo cura de nobis. Quòd si nos non curat, quorsum coletur à nobis? vana ac stulta persuasio fuerit Religio ac Pietas. At nos tamen homines omnes, & nationes quantumcunque barbaras, animaduertimus adduci naturaliter ad Religionem aliquam: laudare ac probare modestiam, moderationem, gratitudinem, pietatem, mansuetudinem, patientiam, equitatem. Fieri ergo non potest, quin hæc sint bona, & contrariis potiora: cuius rei nulla est ratio, si Deus non sit spectator ac Iudex. testantur igitur nos illi cura esse, & pietatis præmium alibi expectandum. Quòd si illic est virtutis prætium, & hominis finis: anima profectò illic viuet.

Quis Animarum ex corpore migrantium status: Ex Athanasio, Episcopo Alexandrino.

CAPVT

III.

Quæstione
29. & sequ.

Psal. 37.

Iob 10.

Luc. 23.

Athanasius Episcopus ad Antiochum principem, quò post mortem reciperetur animæ, interrogantem: Aliena est, inquit, & horribilis quæstio, & hominibus abscondita: non enim permisit Deus redire quenquā inde, qui annunciarer, vbi aut quomodo sint illæ à nobis profectæ animæ. Tamen ex Scripturis discimus, quod peccatorū animæ inferius omni terra & mari existant, ut inquit Psal. In tenebris & in umbra mortis, & in lacu infimo. Atque in Iob scriptum est: In terrā tenebrosam, & opertam mortis caligine, in terram tenebrarum aterralium, vbi non est videre lumen, neq. vitam hominibus. Iustorum autē animæ post Christi aduentum & mortem, id quod de latrone in cruce didicimus, in Paradiso

radiſo ſunt. Nō enim propter ſolā latronis animā Chriſtus Deus noſter Paradīſum aperuit, ſed etiam propter reliquas oēs ſanctorum animas. Pēgit deinde Antiochus interrogare: Nunquid igitur receperunt iuſti bona ſua, & peccatores pōnā? Reſpondet Athanaſius dicens, Nequaquam, attamen gaudiū nacti ſunt Sanctorum anima: & iſta eſt fruitio earū particularis, ſicut & triſtitia quam peccatores habet, eſt particulare ſupplicium. Quomodo enim accerſit rex amicos ſuos, ut ſecum prandeant: & damnatos ut puniantur: hi autē qui ad prandium ſunt vocati, gaudent & latantur coram rege in palatio vſque ad horam prandiū, damnati autem in carcere clauſi manent in marore & triſtitia, vſq. dum veniat iudex: ita tandē intelligere oportet etiam de animabus que iſtuc à nobis migrauerunt.

De eodem animarum ſtatu poſt mortem, D. Auguſtini Sententia.

TEmpus quod inter hominis mortem, & ultimam reſurrecciónē interpoſitū eſt, animas abditis receptaculis cōtinet, ſicut vnaquaq. digna eſt, vel requie vel erumna, pro eo quod ſortita eſt in carne cum viueret.

Ante Paſſionē Domini omnes animæ Sanctorum in inferno ſub debito prauaricationis Adæ tenebantur, donec auctoritate Domini per indebitam eius mortem à ſeruili conditione liberarentur. Poſt Aſcenſionem Domini in celos, omnium Sanctorum animæ cum Chriſto ſunt: & exeuntes de corpore ad Chriſtum vadunt, expectantes reſurrecciónem corporis ſui, ut ad integrā & perpetuam Beatitudinem cum ipſo pariter immutētur: ſicut et peccatorū animæ in inferno ſub timore poſitæ, expectant reſurrecciónem ſui corporis, ut cum ipſo ad pōnam detrudantur eternam.

Mortuis

CAPVT

IIII.

In Enchirid.
ad Laur.

cap. 109.
De Dogmatibus eccl.
cap. 77. 78.